

PEIFERI.

ptiarum conjunctiones, sponſarumque deductiones : omittuntur tres illuſtres tutelæ : Saxonix Principū duæ, & tertia pupillorum Megapolenſium : quæ divo Auguſto commendata erant, & magno cumulo labores Peifero augebant. Qvis vero, ut ea negotia præterantur, quæ clientum & civiū legitima gubernatio defideret, ſingula recenſeat? qua in curia potentis Principis in quo ſumma eſt autoritas & amplitudo, quotidie emergunt? Quamquam autem Peifero in hoc ergaſtulo tres alii, prudentes, docti & rerum uſu præſtantes viri, initio adjuncti fuerunt; tamen illis paulatim poſtea ad aliarum rerum procuracionem adhibitis, tota moles, poſtremis præfertim, quos Divinus Auguſtus vixit, annis uni Peifero incubuit: teſtantur id tot plena & magna volumina, manu Peiferi; exarata, quæ